literis, quod dicebam. nihil desidero, nisi quod breviores dat, non suo more: sed et languorem animi excusat, et uberiores propediem pollicetur. Este quidem, sed qui ad manum amici estis, quaeso, et hunc animi impetum regite, si praematurus est. Remittenda vis ingenii est, quae ab intentione nimia dubites an non illud passa sit, quo nunc aegrè defungitur. Sed quid ego imprudenter prudentes moneo! Ad beneficiorum causam quam commendas, ipsi rescribo, polliceorque adfuturum sedulò omni occasioni, quam sors dextera obviam datura est. Idem se facturos Nylius, Ploosius aliique receperunt. Vale Vir Doctissime et me ama. Hagae Com. 15. Cal. Aprilis 1632.

De oratione quam misisti gratiam sic habeo, ut vel dubitare te nolim, temperasse se Hugenium ab his ferculis, quamdiu Vossio in mentem, ultimus convivia venerit. Pridem ἐν τελφῃ istâ me voluto. et reperti sunt communes amici, qui an me amares nescii quantoperè te admirer ac tua, scire se, recentissimis exemplaribus testati sunt. Quà porrò in saecula iturus sis, quâ tibi superstes, quâ posteritati interfuturus, cognoscere valdè cupio. Originum libros, de quibus summam eruditi spem fecerunt, ego et majorem alo, differs jam nimium diu. prodeant, amice, prodeant, et si quid ejusmodi publicae utilitati, ut soles omnia, destinasti, μὴ χρονίσῃς. Quousque et tibi et nobis invidebis? tibi maximam laudem, nobis voluptatem? Sic te C. Plinii ad Octavium verbis alloquor, et valere aeternum jubeo.

Hectori Bouritio.

Amplissime Bouriti. (154)

Non adeo de Vincenii amoribus sollicitus ~~sum~~ quam de tuo sum. Illi enim duo χρονίζει, hic intepescere videtur. Solve rogo, me propediem tam justo metu, et si quo in pretio mihi sis, ignoras hactenus, ex eo disce, quod eorum quae vel amicus promisisti, vel probasti, lector impatientissimam moram fero. Vale Vir Doctissime et me ama. Hagae Com. XV. Cal. Aprilis CIↃIↃCXXXII.

Non nuper tuus
C. H.

Addo Tragoediam Heinsianam, cujus aeternitati quantum nomini ~~tuo~~ meo benigne tribuit, iniquè detraxit. Hanc si dudum legeris, Vander Burghio, qui illustrissimo Comiti vestro a secretis est, ex fideicommisso tradi postulo, sin autem tuam esse.

Bouritio

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 50r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/668